

Λ Ο Γ Ο Σ  
ΠΑΣΗΣ ΑΠΟΔΟΧΗΣ  
ΑΞΙΟΣ

I. Tim. I, 15.

ALTO

DEUTSCHEN

BUCH

DRUCK

ILLVSTRIS GYMNASII CASIMIRIANI  
DIRECTOR ADIVNCTVS et PROFESSORES  
RELIQVI CIVIBVS SVIS  
S. D.

**S**i res omnes ad communem hominum, eamque certam, notitiam perferendae multiplici vel testimoniorum, vel rationum idonearum, confirmatione indigent, eae certe firmissimis sunt veritatis indiciis muniendae, quae omnem superant hominum, vel praecurrunt, expectationem. Cuius generis veritatibus cum, magno priorum consensu, palmam praeripiat Filii Dei inter homines apparitio, hanc ita patefactam esse, ut sit testatissima, nemo dubitabit. Primos enim et aduentantis, et iam iam in praesepio vagientis, seruatoris interpretes, et praecones, constitutos legimus angelos; Luc. I, 28. II, 9. 13. quorum postea fidem et vnigeniti filii de se ipso asseueratio, et coelo delapsa Patris vox: Matth. III, 17. et tota rerum a Seruatore gestarum series, plus satis confirmavit. Quae fidei quidem nostrae fundamenta, ceu solidissima, et a machinis hostium filii Dei satis munita, veneramur: nec tamen iisdem pietatem nostram vnice putamus esse superstructam. Accedit enim ad istud testimoniorum robur ipsa doctrinae suauitas, cuius beneficio hominum mentibus, salutis suae cupidis, leniter illabitur, et ad intimum animi sensum descendit. Neque nunc lubet eorum exemplis hominum disputare, quos vnus Apostoli vna, et nuda, narratione ad obsequium fidei pertractos legimus; sed Paulum solum sententiae nostrae testem, vel potius autorem, grauissimum excitamus: cuius verba I. Tim. I, 15. sic fluunt: πιστός ὁ λόγος, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος; ὅτι κρείσσος Ἰησοῦς ἦλθεν εἰς τὸν κόσμον ἀμαρτωλοὺς σῶσαι: *Certus est sermo, et dignus, qui omnibus modis recipiatur, Christum Jesum in mundum venisse, ut peccatores seruaret.*

Dogma, cuius commendationem diuus Apostolus hoc commate suscipit, ad *Finem* perinet *venientis* in mundum Seruatoris. Salus nimirum peccatorum Dei filium e coelesti sede excitauit. Quam veritatem dum summa fide, ac religione, amplectendam Apostolus asseuerat; ipsam simul de incarnato Dei filio doctrinam, vna eademque laude, commendat. Cuius enim rei *finem* ut scias et tua maxime refert, et rei dignitas postulat, *illam ipsam* ut noscas, similiter et tua commoda,

et rei dignitas, postulabunt. Quare si doctrina de Aduentu Seruatoris, eiusque natiuitatis *fine*, πισὸς est, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, ipse aduentus Christi, atque ejus natiuitas, πισὸς quoque est, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος. Vtrumque ergo huius doctrinæ ornamentum, a Paulo propositum, vti ad confirmandos Christianorum animos plurimum habet virtutis, sic altissime infigendum est pectori, et identidem πρὸς οἰκοδομὴν memoria, et sermonibus, celebrandum. Sed ἰὸ πισὸν doctrinae de filio Dei carnis particeps facta, conclamatis annumeratur a coetu puriori veritatibus. Plus laboris in eo collocandum censent Euangelii Antistites, vt λόγον *omni modo* suscipiendum, auditores non auribus tantum, sed et maxime pectore, excipiant; neque, quam am-  
 abas amplecti debebant manibus doctrinam, extremis vix attingant digitis. Dum enim Paulus ἀποδοχὴν non qualemcunque desiderat, sed *πάσιν*; certe non simplex quod, et ad efficiendum facillimum, sed aut in multas *partes* diuisum, aut per varios *gradus* demum ad ἀκμὴν perducendum, negotium indicat. Interest igitur doctorum, pariter atque discipulorum, vt πάσης ἀποδοχῆς certam, et paulo vberiore, habeant notionem; vnde et verae doctrinae regulae, et valida pietatis incitamenta, commode eliciantur.

Ἀποδέχεσθαι, quod ἀδέχεσθαι, ἀναδέχεσθαι, προσδέχεσθαι non multum significatione differt, haud dubie, si originariam ejus notionem spectes, perinde vt ἰὸ *suscipere* Latinorum, ad res corporeas pertinet, quas aut manibus, aut vlnis, aut humeris, aut toto denique corpore aut *amplectimur*, aut *sustinere incipimus*. Porro, quod ea, quæ non inuiti suscipimus, aliqua nobis ratione arridere, et placere, solent, hinc contigit, vt ἀποδέχεσθαι Græcis idem sonaret, quod Latinis: *admittere, probare, laudare*. Neque quisquam est, qui non videat, *translatæ* hujus significationis partem esse, cum quis λόγον, *orationem, nuntium, mandatum*, alia hujus generis, dicitur ἀποδέχεσθαι. Isthæc enim rerum genera non *corpore*, sed *animo*, suscipienda sunt, atque tenenda. Sed ἀποδοχὴ ejusmodi cum fit in anima, duæ sese nobis offerunt ad eam rem aequæ idoneae mentis facultates: *intellectus* nimirum, atque *voluntas*: quam vtramque ad suscipiendas propositas doctrinas aptissimam a natura accepimus.

Intellectus enim nostri ea est indoles, vt si *prima* rei perceptio, auditio, lectio, ingrata atque molesta nobis sit, auertere statim sensus  
 nostros

nostros, vel occludere, vel seueriori quadam cogitatione hebetare queamus. Sin vero id, quod auribus nostris illabitur, nihil nos offendat, vel, si aliquo modo offendat, aliunde tamen aliqua suauitate nobis commendetur, tunc patienter praebemus aures, coeptaeque lectioni inhaeremus, translata omni nostra ad eam rem attentione, quæ nobis proponitur. Sic PERCEPTIO λόγος, siue doctrinae, et orationis, in mente perficitur; quam *primam ἀποδοχῆς* speciem; vel, si mauis, *πάσης ἀποδοχῆς initium* recte dixeris.

Accidit autem vt id, quod audiendo, legendoque, percipimus, maiori vel verborum, vel rerum, labore obscuritate, quam vt a nobis statim intelligatur; quod si eueniat, *verba* potius, quam *rem* verbis expressam, percepisse videmur. Sin vero perspicua oratio ad animum nostrum pertingat, iam *rem ipsam*, intellecta vocum potestate, *apprehendimus*, tantoque eam melius, quanto a nobis rectius intelligitur, *comprehendimus*: Quo fit, vt SERMONEM INTELLIGERE, *alterum ἀποδοχῆς gradum* non male quis constituat.

Iam in omni oratione, atque in singulis eius partibus, aut verum, aut quaedam saltem veri inesse debet species; multumque interest, vtrum orationem, pro vera, quis suscipiat, an vero, tanquam falsam, respuat: an denique de rei veritate in alterutram partem nihil definiat. Is tamen solum *suscipere* orationem recte dicitur, qui *doctrinam*, in ea comprehensam, iudicio suo probat, et, quod alter protulit, id sentit esse veritati consentaneum. Hunc assensum, siue FIDEM, *tertium numeramus ἀποδοχῆς gradum*.

Iuuaret nunc in abdita nostrae mentis descendere, atque perspicere altius, quemadmodum eadem oratio, atque doctrina, assensu, et fide, a multis auditoribus excepta, extremam saltem apud quosdam veluti mentis oram attingat; apud alios altius, et quidem per diuersos gradus, descendat; apud paucos altissime pectori infixam haereat. Vnde fit, vt quis doctrinam susceptam facilius dimittat, alius tenacius retineat, alius denique eam sibi nulla ratione eripi patiatur. Sed haec accuratius definienda, plus quam Mathematicam *graduum* efflagitant notitiam, nec tamen rem sacram, quantum conicere datur, multum iuuarent; nisi quod vltimus *ἀποδοχῆς* gradus, certam, et immotam, fidem notans, in Scriptura S. diserte indicatur; *Marc. IV, 20.*

vbi Seruator noster, tanquam optimae notae auditores, excitat eos, οἵτινες ἀκρίβει τὸν λόγον, καὶ παραδέχονται, καὶ καρποφοροῦσι: et ita quidem hoc propositas doctrinas suscipiendi genus a caeteris distinguit, vt iis, qui vacillante fide, et male firmata, verbum diuinum excipiant, non τὸ ἀποδέχεσθαι, aut παραδέχεσθαι, sed τὸ λαμβάνειν tribuat l. c. 16. pro quo tamen *Lucas VIII. 13.* ponit δέχεσθαι. Nobis certe ex his constat, certum et immotum iudicium de veritate doctrinae propositae, siue *SVMMA FIDEM*, *quartum* commode ἀποδοχῆς *gradum*, si non Philosophiae, certe rei sacrae, causa constitui.

Et hanc quidem deprehendimus multiplicem intellectus facultatem, qua doctrinam sibi oblatam, aut repraesentatam, aut annunciatam, arripiat, atque suscipiat. Neque tamen nullae sunt *voluntatis* in his ἀποδοχῆς speciebus partes; quin haec semper vna cum intellectu, et gnauiter, operatur. Vt enim doctrinae propositae attendas, voluntatis est; vt de veritate cognita et intellecta gaudeas, voluntatis est; vt doctrinam fide summa susceptam constanter retinere velis, voluntatis est. Quae tamen omnia, quoad tecte, et occulte, in animo fiunt, nec satis virium, vt a nobis sentiantur, habent, in vulgari *voluntatis* nostrae contemplatione fere negliguntur. Vbi vero intellectus, officio suo veluti perfunctus, doctrinam non amplius *apprehendit*, aut *suscipit*, sed iam *apprehensam*, et *susceptam*, *retinet*, tunc *Vis* demum voluntatis aperte se prodit, et in manifestum *amorem*, *fiduciam*, et *enixum rei cognitae studium* erumpit. Sic noua ἀποδοχῆ enascitur, *viuae cognitionis* nomine, Philosophorum pariter, ac *Theologorum*, scriptis celebrata; quae, saepius a doctissimis viris iam explicata, nostra nunc non indiget interpretatione.

Non possumus autem non discrimen duarum specierum hoc loco adnotare, quae ex hac *voluntatis ἀποδοχῆ*, ob diuersam doctrinarum indolem, solent propullulare. Omnes equidem doctrinae, quae veritatem tradunt, aut veri certe habent speciem, ita nobis plerumque placent, vt eas non satis habeamus nosse, sed vt easdem illaesas semper, et incorruptas, conseruari, et, quam fieri potest latissime spargi, omnibusque probari cupiamus. Id quod ipse rerum vsus, familiaria hominum de rebus nouis colloquia, et grauiissima doctorum hominum certamina luculentius, quam vt vocari in dubium possit, comprobant. Inesse autem, et latere, in isto doctrinas propagandi studio ἀποδοχῆν quandam, eamque crebriorem et enixiorem, facile intelligas, si tecum  
repu-

reputes, res eas, quas docemus, quas defendimus, quarumque ad plurimos pervenire notitiam cupimus, toties esse denuo *apprehendendas*, quotiescunque quicquam illarum perficere rerum cupias. Etenim si id agas, ut doctrinae tibi charae propagentur per uniuersum genus hominum, utque contra insidias aduersariorum confirmantur, nihil sane proficies, nisi veritatem saepius expromas, in eaque declaranda, ac confirmanda, omnem operam colles. Sit igitur *primum ἀποδοχῆς*, quae quidem voluntate perficitur, *genus*: quod *crebriori susceptae doctrinae tractatione, repetitione et declaratione*, totum continetur.

Sunt autem quaedam res, atque doctrinae, eius naturae, ut non cogitandae solum, docendae, et vindicandae sint, sed etiam ad *usum*, et *praxin*, transferendae: in quo doctrinae *uertas*, et *dignitas*, consistit. Nec est, quod operose demonstremus, uertatis, et dignitatis, huius varios dari, et constituti posse, gradus; utpote quos is ipso rerum usu cognoscit, qui doctrinas, ab ineunte aetate ex institutione magistrorum haustas, suis cum actionibus comparauerit. Vti enim *pietas*, monente Apostolo, *I. Tim. IV, 8. ad omnia est utilis*; sic caeterae doctrinae, minus sanctae, non quidem aequae infinitum, satis tamen late patentem, usum in negotiis, vitaque honeste, prudenterque, gerenda nobis praestant.

Ita vero quo grauiore quaeque doctrina aut *agendi regulas*, aut *rationes*, tradit; itemque quo magis animum cupiditatum vinculis exsoluit, aduersus pericula confirmat, et ad omne opus bonum, atque praeclarum, aptum reddit; eo enixioris *ἀποδοχῆς* ea digna est; ut nempe memoria tenacissime retineatur, nullo non in negotio ad usum expromatur, sicque, ipso usu, magis magisque confirmetur, et innumeris veluti clavis animo infigatur.

Sed ii, qui in praeceptis institutisque Philosophorum diu, multumque, versantur, quia ibi nonnisi doctrinae, quas *uniuersales* vocant, proponi audiunt, neque rerum gestarum multam rationem haberi uident; uertatem iis fere solum doctrinis imputare discunt, quae ex consideratione *summorum generum*, in rebus obuiis latentium, eliciuntur. Neque negare licet, quamquam omnis doctrina res veras tradens sit utilis, si tamen contentio quaedam, et comparatio, utilitatum sit instituenda; atque si id quaeratur, quae ad tranquillitatem animi, ad  
com-

comprimendas cupiditates, ad vitae prudentiam, maxime faciat? vix dubitari posse, illam doctrinam, quae naturas rerum, et causas, exponit, eam longe vbertate superare, quae res gestas superiorum temporum e tabulis vetustis, ad instar ossilegii cuiusdam, instaurat, pristinique mundi effigiem, qualis est in nostra potestate, effingit. Falleretur autem vehementer, qui propterea aut historiam veterem non maximo-pere putet esse necessariam; aut in vniuersum statuatur, vbertatem, eamque summam, non veritatum historiarum, sed sic dictarum *vniuersalium*, veluti propriam esse. Quod si enim adsunt *res gestae*, vnde nostra, qua fruimur, pendet, et nata est, felicitas; aut si *futuras* nostras fortunas, si eae nobis notae essent, moderari nobis detur: nonne haec praeteritarum et futurarum rerum doctrina, omnium caeterarum cognitionem longe vbertate superaret? et propterea, cogitatione, fide, cura, atque omni denique ratione, esset suscipienda et amplectenda?

Natiuitas certe Seruatoris, quemadmodum omni modo suscipi mereatur, per hos dies, celebrando huic mysterio consecratos, copiose grauiterque monstrabunt verbi Diuini Antistites. Aliam autem *ἀποδοχῆς* partem, in defendenda veritate hac salutari positam, in se *hodie*, pro ingenii facultate, suscipiet, *sanctitatem Seruatoris a criminationibus C. Edelmanni*, apta oratione, vindicando, Ciuis noster

IOANNES CHRISTOPHORVS KECKIUS,  
*Culmbacensis Francus:*

Iuuenis alacritate ingenii, diligentiaeque laude, inter nostros florens: cui, in literarum studiis feliciter decurrenti, calcar addetur, si ad eum audiendum, a *Sacris Mauritanis*, conueniant, Illustrissimus S. R. I. Comes, Gymnasii nostri Patroni atque Fautores, pro sua quisque dignitate colendi: Ciuis denique nostri; quos vti suae de Commilitone opinionis, sic suarum virtutum, hoc maxime tempore Sacro, memores esse iubemus. *P. P. e tabula Casimiriana: Fer. I. Natiu. Christi.*

CI<sup>O</sup> IO CCXLV.

---

COBURGI,  
Typis GEORGI OTTONIS, Typogr. Ducal.